



320
20

Z. n. 18.



18. iii.



Joannis Weinkens Navarchia Selingradiana prod. Transf.
ad Moen. 1713. in fol. 2. Alph. 12. plag. Vide Hufsch. Navar.
A. 1713. p. 273. Sq.

Bibliotheca Bergensi
infortus est hie liber
1759
Abbate
Johanne Adamo Steinmetz

G 900

INTER
PLATONIS HOMINIS GENTILIS
 ARGUMENTA
 PRO
 ANIMARUM IMMORTALITATE
 ILLUD A JUSTITIA DEI DESUMTUM
 OPTIMUM ESSE
 ARBITRATUS
 AD
ANNIVERSARIAM ORATIONEM
 IN QUA
MEMORIA
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
JOHANNIS
GEORGII

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM AN-
 GARLÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVII THURINGIÆ MARCHIONIS
 MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ PRINCIPIS COMITIS HENNE-
 BERGÆ COMITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ
 DYNASTIÆ RAVENSTEINI &c. &c.

*PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS QVONDAM NO-
 STRI LONGE CLEMENTISSIMI*

D. XVI. MARTII A. S. MDCCXII
 PIE BEATEQUE DEFUNCTI
 INSTITUTA

D. XVII. MARTII ANNI CURRENTIS
 IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI
 SOLENNI PANEGYRI

RECOLETUR

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS ET
 UTRIUSQUE REIP. PROCERES LITERARUMQUE
 STATORES AC AMATORES ET ILL. AU-
 GUSTEI CIVES

OBSERVANTER ET DECENTER
 INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS
 SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QUERF. ILL. AUGUSTEI RECTOR & P.P.





MENTIS HUMANÆ essentiam omnis materiæ exp-
pertem esse inter Veteres Gentium Philosophos
Sapientissimus PLATO in *Epinomide*, *Phædro*, *Ti-
maeo*, *Philebo* & *Phædone* pluribus argumentis, &
à priori & à posteriori, præcipue ex facultate
cognoscendi res à materia re & ratione abstractas,
quæ nec sensibus ullis percipiuntur nec Phantasmatis
exprimi possunt, aliisque effectis Intellectus & Voluntas
ostendit, & ANI-
MÆ exinde immortalitatem non sine argumentorum, si non omni-
um plerorumque tamen, pondere arguit ipse & cæteri Philosophi.
Nam materiale principium in immaterialia penetrare nunquam po-
test, ut illa distincte assequatur, percipiat, componat, dividat,
unum ex alio colligat & reflectendo exigat præterita præsentia & fu-
tura. Hæc dum *mens Humana* in innumeris actibus, scientiis & ar-
tibus agit, materialis esse non potest. Non enim causa effectum
ignobilior est & deterioris conditionis. Quod si vero Animæ essen-
tia inde spiritualis agnoscitur, agnosceretur etiam ipsa omnis cor-
ruptionis internæ expers. Graviter hoc argumentum persecutus est
D. Georgius Calixtus tr. de Immortalitate Animæ & Ref. Carn. Verba
ejus sunt §. X. „Adtumunt Philosophi operationes intellectus, qui
„concipit & cognoscit omnium rerum genera, omnes naturarum
„gradus, res etiam spirituales, ut Deum & intelligentias, nec sicut
„sensus corporei, excellentibus ejusmodi objectis percipiendis læ-
„ditur aut debilitatur, sed potius perficitur; reflectitur supra semet-
„ipsum, & quid ac quomodo cognoscat intelligit; à singularibus
„universalia abstrahit eaque immaterialiter & universaliter specu-
„latur: præteritorum etiam & futurorum rationem habet, illa cum
„istis comparat & quod ex usu fuerit colligit. Operationibus intel-
„lectus addunt operationes voluntatis, quæ in omne bonum fertur
„quemadmodum intellectus in omne verum; delectatur rerum
„omnium pulchritudine, & admirando, quod in singulis relucet,
„artificio, actionibus, etiam justis & honestis & liberalibus discipli-
„nis, libera est, & ipsa suas actiones specificare, ac ad alterutram
„partem oppositorum determinare valet; repugnat etiam sæpenu-
„mero corpori suo, dominatur adfectibus ejus, & contra, quam
„illi instigant, operatur. Ex hisce, inquam, immaterialis & spiri-
„tualibus animæ rationalis actibus colligunt Philosophi immateria-
„tam & spirituales potentiam, quam proportionentur sibi invicem
„actus & potentia, & circa objectum à materia vel re vel ratione
„abstractum nulla materiata potentia occupetur, aut actum hujus-
„modi elicere possit. Operatio igitur quia potentiam sequitur, &
„potentia substantiam, unde effluxit, recte hinc colligit Philosophus
„animæ substantiam immaterialiam, incompositam, nullique cor-
ruptioni

ruptioni aut interitui obnoxiam. Animus itaque hominis æternus est, nihil non æternum cum implet, nec tempus, nec vita, nec, voluptas, nec imperium, nullum denique bonum quantum vis, maximum, quando tanquam mortale & aliquando desitutum apprehenditur; in nullo horum sibi ipsi satisfacit, aut adquiescit. Et huic argumentationi vim demonstrativam tribuit *Calixtus* & plures Doctores alii. Saltem Philosophi ipsi Gentiles hac argumentatione usi frequenter ita de Animi sui immortalitate convicti sunt, ut valde sublimiter de eadem & senterint & scripserint. Horum testimonia pasim ex *Platone*, *Cicerone*, *Plutarcho* &c. collecta legas apud *Mornæum* de Veritate R. C. c. 15. p. 325. *D. Calixtum* l. c. *D. Febrinium* Sched. exerc. I. *J. N. Hartshmid* de Immort. An. &c.

Attamen cum hæc *Mentis Humanæ* sit imbecillitas, ut sibi relicta veram Spiritus naturam positive non satis capiat, nec quantum ipsi corruptio interna repugnet, aut ipsam externa, quæ vocatur, forte maneat, cognoscat, illud *PLATONIS* argumentum aliis omnibus præferendum videtur, invictumque est, quod Philosophus à *Dei Providentia Justitia, & judicio* assumpsit & in *Phædone* p. 397-400. prolixè edisseruit, Quodque alii *Platonem* secuti Philophi secure apprehenderunt. Illud *Grotius* Com. ad Matth. XXII. optimum vocat, & *Hartshmidius* l. c. p. 36. demonstrativum esse pronunciat. Breviter hoc argumentum complexus est *Clemens Romanus* seu Auctor *Recogn. l. 3.* inquiens: *Si Deus est justus, Animus est immortalis.* Nam, quia Deus homines in hac Vita non excipit semper pro conditione observata ab ipsis aut neglecta Legis Cordibus hominum inscriptæ divinitus, necesse est, si quidem *Prudens Legislator DEUS* fuit, neque propterea Legem indidit, ut contemneretur, ut post hanc vitam Anima superstes sit ad judicium à Deo justo Judice expectandum. Quemadmodum igitur *Justitia Dei* ex *Lumine naturæ* indubitato cognoscitur, ita ut qui hanc neget, ipsum Deum neget & omnem *Numinis cultum & reverentiam* evertat & tollat, reclamante rectæ rationis dictamine: ita etiam deducta conclusio, quod propter hanc *Dei Justitiam Anima* sit immortalis, certa erit & indubia ex ipso *Lumine Naturæ*; quandoquidem *Justitia Dei* aliter salvari non possit. Scilicet docet *Lumen Naturæ*, Deum esse justum & sanctum, eumque hominibus etiam regulam sanctitatis & justitiæ præscripsisse; docet etiam Deum, quia justus est, unicuique reddere quod justum est, vel ut *Philosophus* l. 2. M. M. c. 8. loquitur, *bona & mala meritis distribuere.* Hoc autem cum in hac Vita non fiat, nec iste justitiæ naturalis & necessarius effectus a plerisque omnibus sentiatur: consequens est, post hanc vitam restare aliam, & *Hominum animas* non mori cum corporibus, ut *DEUS* vere justus sit & appareat. Nam Deum esse justum, non potest esse verum, si Ani-

ma

ma hominum intereunt cum corporibus. Illud autem, *Deum non esse justum*, est im-
 possibile. Ergo & *Animarum interitus* est impossibilis: Quicquid enim ducit ad im-
 possibile, id ipsum impossibile est, ut ait *Sapiens*, & ex eo arguit *Raymundus Martini*
 in Pug. Fid. P. I. c. 4. p. 201. Vidit hoc Ethnicorum Sapientissimus *PLATO* & injustum
 esse ait, si Anima non essent immortales, urgetque inde *damnum piis* & *lucrum impiis*
 nasci *contra Dei justitiam*, & concludit Animas esse immortales: earumque curam enixe
 commendat. Verba Platonis sunt l. c. p. 397. Τὰ π, ὡ ἀνδρες, δικαιο διανοηθησῶ, ἐπι
 ἀτερῆ ψυχῆ ἀθάνατος ἐστίν, ἐπιμελέας δὴ δάται, ἐκ ὅπερ ἴτε χρόνους ἴτε μόνον ἐν ᾧ καλῶμεν τὸ
 ζῆν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶ παντός. καὶ ὁ κίνδυνος νῦν ὅτι καὶ δόξουν ἂν μάλιστ' ἀποθνήσκουσι, εἴτε αὐτῆς
 ἀμελήσαντες. Ἐγὼ μὲν γὰρ ἢ ὁ θάνατος τῶ παντός ἀπειλαγῆ, ἐβουλεύοντο ἂν ἦν τῆς κακίας ἀποθνή-
 σκουσι, τῶ π σώματος ἅμα ἀπηλάττωται, καὶ τῆς αὐτῶν κακίας, καὶ τῆ ψυχῆς. Νῦν δὲ ἐπι-
 δὴ ἀθάνατος φέρεται ἅτα, ἕθεμία ἂν εἴη αὐτῆ ἀλλή ἀποφυγῆ κακῶ, εἰδὲ σωτη-
 ρία, πλην τῶ ὡς βελτίστη καὶ φρονιματικῆ γινώσκαι. i. e. Hoc, o Viri, ju-
 stum est cogitare, si anima sit immortalis, eam non solum temporis hujus,
 in quo vivere dicimur, verum etiam universi gratia, curatione plurimum indigere.
 Nam grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. Si enim mors
 totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum & a corpore & ab eorum pra-
 vitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla
 superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima & prudentissima fiat. Et ite-
 rum de Judicio Dei l. c. p. 398. pergit: λέγεται ἔτος, ὡς ἀρχὴ πλευστήσαντο ἕκαστος ὁ ἕκαστος
 δοῦμον ὅσπερ ζῶντα ἀλήχηται, ἵνα ἴσονται ἐπιχρημαίους ἠθναίητες, οἱ θάνατος ἐπιλεγειῶς διαδικασαμένους
 εἰς ἄβυσσον πορεύουσαι καὶ ἡγεμόνος ἐκείνου ᾧ δὴ προσέταται, ἵνα ἐκεῖ εὐκτα πορεύουσαι. i. e.
 Ferunt enim quemlibet hinc illic emigrantem, ab eo Demone quem vivus sortitus fuerat,
 in locum quendam duci, ubi oporteat omnes collectos judicari, ac deinde ad inferos pro-
 ficisci, eo duce, cui mandatum erat, ut hinc decedentes ad illa loca traducat. Plura
 ejusmodi in Platone aliisque Scriptoribus Ethnicis ad verterunt *Grotius* l. c. & *Fechius* in
 Schediasm. exerc. 2. aliique. Nos hanc ex tenebris emicantem lucem intuemur, quae
 & ex veri veritate de Animarum immortalitate ex Lumine Naturae tradiderunt Gentiles
 & ex futuro Dei judicio confirmarunt, lubenter amplectimur, quaeque subinde admif-
 cterunt, ut h. l. *Plato*, veris fallā, tenebris adjudicamus, & per Revelationis Divinae
 lumen emendamus & emendata corroboramus, & quae desunt demonstrationi Gentili
 immortalitatis Animarum simpliciter perpetuandae ex Scriptura supplemus. DEO autem
 gratias agimus, quod nos ex tenebris liberaverit & ad lucem perduxerit, in qua Ani-
 marum immortalitatem & cognoscimus certo & credimus & ad beatam immortalitatem
 animarum nostrarum vera fide contendimus. Hac beatissima Anima immortalitate
 ipso emortuali die XVI. Martii potitus est Serenissimus Princeps ac Dominus,
 Dominus JOHANNES GEORGIUS Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae ac
 Montium, Angariae & Westphaliae &c. &c. &c. Princeps ac Domi-
 nus ac Nutritor quondam noster Clementissimus. Cujus memoriam
 Gloriosissimam Beatissimamque ut in benedictione conservemus nostrae omnino pieta-
 tis est. Recolemus eam proximo die XVII. Martii in Oratione Publica & solenni, &
 Fata dici XVI. Martii sub imagine Solis Occidentis & Orientis adumbrabimus. Rogam-
 us itaque Illustres Aulæ Serenissime Ministros, Utriusque Reipubl. Proceres, Literatos
 omnes ac Civēs nostros, ut SERENISSIMO PRINCIPI subiectissimam devotionem suam
 & nobis suum favorem exoptatissima sua praesentia testari ne graventur.

P. P. Die XII. Martii M DCCXXIV.

LEUCOPETRÆ,
 Literis G. A. Legii, Aul. & Aug. Typogr.

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.







G 900 2

INTER
PLATONIS HOMINIS GENTILIS
ARGUMENTA

PRO
ANIMARUM IMMORTALITATE
ILLUD A JUSTITIA DEI DESUMTUM
OPTIMUM ESSE
ARBITRATUS

AD
ANNIVERSARIAM ORATIONEM

IN QUA
MEMORIA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI

JOHANNIS GEORGII

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM AN-
GARLÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVII THURINGIÆ MARCHIONIS
MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ PRINCIPIS COMITIS HENNE-
BERGÆ COMITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ
DYNASTIÆ RAVENSTEINI &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS QVONDAM NO-
STRI LONGE CLEMENTISSIMI

D. XVI. MARTII A. S. MDCC XII

PIE BEATEQUE DEFUNCTI
INSTITUTA

D. XVII. MARTII ANNI CURRENTIS
IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI
SOLENNI PANEGYRI
RECOLETUR

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS ET
UTRIUSQUE REIP. PROCERES LITERARUMQUE
STATORES AC AMATORES ET ILL. AU-
GUSTEI CIVES

OBSERVANTER ET DECENTER
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS
SS. TH. B. CONSIL. SAXO-QUERE. ILL. AUGUSTEI RECTOR & P.P.

